Dissertatio inauguralis Chirurgico-
-Medica de Prolapsu et Inversione
Uteri eiusque Vaginae Relaxatione

DISSERTATIO INAVGVRALIS CHIRVRGICO-MEDICA

DE

PROLAPSV ET INVERSIONE VTERI

EIVSQVE

VAGINAE RELAXATIONE

QVAM

SVB AVSPICIO SVMMI NVMINIS

GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSV ET AVCTORITATE

PRAESIDE

DN. D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MEDICINAE ET ANATOMIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. Q. C.

ANNO MDCCXLV. D. XVIII. IVNII

DEFENDET

AVCTOR RESPONSVRVS

FRIDERICVS BENIAMIN WACHTER.

NORDHVSIA-THVRINGVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

VIRIS

MAGNIFICIS CONSVLTISSIMIS

DOCTISSIMIS ATQVE AMPLISSIMIS

IMPERIALIS NORDHVSAE

CONSVLIBVS GRAVISSIMIS

CIVITATIS PATRIAE PATRIBVS

LONGE MERITISSIMIS;

RELIQVISQVE

SPECTATISSIMIS

MAGNIFICI SENATVS

MEMBRIS

FAVTORIBVS ET PATRONIS

OMNI HONORIS CVLTV IN AETERNVM

PROSEQVENDIS

HASCE

LITTERARVM PRIMITIAS

VTPOTE

PERPETVVM PIETATIS MONVMENTVM

INTER ARDENTISSIMA

PRO PERENNI INCOLVMITATE ET SALVTE

VOTA

EA QVA DECET ANIMI OBSERVANTIA

D D D

FRIDERICVS BENIAMIN WACHTER

TABVLA
VARIAS PESSARIORVM SPECIES
REPRAESENTAT

ET QVIDEM

Fig. I. Formam pessarii ellipticam.

Fig. II. Ellipticam circulo propius accedentem, intus excauatam, cum foramine in acutum tendente.

Fig. III. Triangularem, cuius latera sunt circularia, ratione structurae priori fere similem, foris latitudine duorum digitorum gaudentem, magisque in acutum a circumferentia centrum versus desinentem.


Fig. IV. Orbicularem non adeo profundam.


Fig. V. Planam rotundam fere quadrangularem.

Fig. VI. Rotundam, in forma annuli extus conuexam, intus concauam.

Fig. VII. Oualem seu oui formam referentem.

Fig. VIII. Demum exhibet pessarium, quo MESNARD vsus in curanda vaginae vterinae relaxatione. Figuram quidem campanae habet, duo autem orificia, superius h. h. et inferius i. i. circa quod filum i. g. i. pessario adnexum deprehenditur, quo vrgente necessitate rursus extrahi possit.


Fig.V.


Fig.VIII.
h h
i g i



Fig.IV.


Fig.VII.






c c
f
a b
e e
d
e e
a b
f
c c

Fig.I.


Fig.VI.


Fig.III.


Fig.II.





DISSERTATIO INAVGVRALIS CHIRVRGICO - MEDICA

DE

PROLAPSV ET INVERSIONE VTERI EIVSQVE VAGINAE RELAXATIONE.

PRAEFAMEN.



Quum in accurato causarum scrutinio medentis labor versetur, cognitionem earum exquisitam medico adeo necessariam iudicamus, vt sine illa nec morbos rite distinguere, nec rationalem principiis veris superstructam suscipere possit curationem.

tionem. Optime enim ille curat, qui morbum bene cognoſcit. Quare HIPPOCRATES *Lib. de Flatibus*, *cauſas*, inquit, *morbi bene cognoſcens, valde potens eſt ea afferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria morborum natura perſpecta; libroque de natura humana, curationem, ita inſtituere iubet, vt cauſæ morbi nos opponamus*; quo ſimul referendum CELSI effatum: *Cauſae inveſtigatio eiusque primordia et occaſio in affectionis et remediorum cognitionem deducunt ampliſſimam.* Licet vero arctus cauſarum inter ſe nexus earumque infinitus fere progreſſus ſit, primariæ tamen tantum ex his, vtpote formalis et materialis, deinde quæ his antecedunt, tam internæ quam externæ a veteribus κατ' ἐξοχὴν προηγȣμέναι καὶ προκαταρκτικαὶ dictæ, examini et ſcrutinio medico ſubiici debent. Perſpecto enim hoc cauſarum ordine, omnis medela tam ad motum quam ad materiam dirigitur, cognitio autem earum quid valeat in ſanandis morbis, ex praxi optime diiudicatur, ſub quarum examine rite inſtituto nonnullas diiudicatu eſſe faciliores, difficiliores alias et magis occultas, pro ratione nimirum morbo-

morborum internorum et externorum, quotidiana confirmatur experientia. Moriuntur plurimi et cauſa mortis ignoratur. Quando puerperæ diem ſupremum obeunt, raro inquiritur in cauſſas mortis. Qui veram cauſſam haud intelligunt, malignitatem imaginariam, aut neſcio quid, accuſant, mechanicas omittendo rationes. Hæc fuit ratio, cur mecum conſtituerim, in præſentiarum examinandi affectus quosdam uterinos, quo, quid rationalis eorum diiudicatio et iuſta remediorum applicatio ad curationem felicem inſtituendam et eiusmodi effectus præcavendos valeat, probe cognoſcamus. Elegi mihi thema aliquod de uteri prolapſu et inverſione nec non vaginæ relaxatione pertractandum, fructuoſum omnino, medicoque ſcitu neceſſarium, etſi ad forum chirurgicum maxime pertineat. Anſam mihi præbuere, caſus varii, et affectus quidam inueterati, quorum curatio feliciter ſucceſſit. In memoriam revoco obſeruationes, quas in theatro anatomico hinc inde Excell. Dominus Præſes indefeſſo labore et accurato ſcrutinio fecit, quibusque indagandis confluxus cadauerum vte-

ri affectibus mortuorum commodam hactenus præbuit occaſionem. Vnicam ex his mecum benevole communicatam referre liceat hiſtoriam. „Virgo cachectica XXX anno„rum, per plures annos laborauit fluore albo „benigno, ſuccedente ipſi prius prolapſu vte„ri incompleto, poſtea vero completo facto. „Dedecus ſibi metuit a chirurgorum auxilio, „forſan ex verecundia, quæ cuſtos virtutum „omnium dicenda, hinc nulla alia a medicis „ſibi expetiit medicamenta quam evacuantia, „purificantia, et quæ ſpecificam habere dicun„tur virtutem in fluore albo. Contigit vero „cauſa mali minus cognita, infelix curatio, et „triſtis rei eventus. Sectione poſt mortem „inſtituta, partes fere omnes ſanas præter in„flammationem vteri eiusque prolapſum com„pletum invenimus. Magnitudo huius pro„lapſus extra genitalia erat inſtar capitis fœ„tus, pars ſuperior eius admodum conſtricta, „inferior in circulum maiorem expanſa et val„de rugoſa, orificium vteri ita anguſtum, vt „vix ac ne vix quidem acu in cauitatem vteri „penetrare potuerimus. Ligamenta non dis„rupta ſed relaxata nimis, peluis ampla et ro-

„tunda,

„tunda, vesica vrinaria lotio, et intestinum „rectum scybalis induratis repleta, partesque „omnes inferiores inflammatæ obseruaban„tur.„ Facillime quilibet originem prolapsus a causa interna et illi succedentem statum inflammatorium et lethalem diiudicare poterat, et experiri, quid accurata et completa morbi historia ad cognitionem causæ valeat? Differt enim illa, quæ vel ab ægroto perfecte enarratur, vel quæstionibus ordine propositis eruitur, a vulgari et empirica methodo, qua compendiose plures sine habito respectu ad naturam ægri, statum antecedentem et præsentem, vel per generalia medicamenta, vel per specifica non satis dilaudanda, causas in genere remouere conantur. Alta admiratione dignus erat locus iste humilis, quo veritas confirmaretur, accidere sæpius in virginibus eiusmodi prolapsum vteri completum, a reliquis vulgo dictis vteri procidentiis differentem, simulque corporis humani ratio per anatomicas exercitationes magis redderetur comperta, siquidem constat, medicinam omnem præprimis, quæ manu medetur, sine illa truncam, debilem, minusque potentem esse. Me-

rebatur quoque exactam indagationem, quo ostenderetur, vterum, quem matrem quidem dicimus, dum vices in alendo et conseruando gerit, quam diu in sinu fœtum recondit, rectius tamen vocari, matrem plurimorum malorum. Secundum illud enim HIPPOCRATIS *fœminam bis pati morbum*, et DEMOCRITI effatum *epistola ad* HIPPOCRATEM *de natura humana*, constat vterum millenarum ærumnarum auctorem esse, quibus WEDELIVS *Exercit. Medic. Philos. Cent. I. Dec. I. Exerc. VIII.* addit, *vterum*, quem PLATO dixit animal furiosum, *centrum quoddam morborum constituere, ex quo omnes quasi lineæ ductæ illuc rursus e toto corpore confluerent.* Itaque liceat e præcipuis eorum momentis, neglectui a medicis datis potiora seligere, quæ beneuolæ C. L. subiicimus censuræ.



§. I.

§. I.

De *vteri prolapſu* et *inverſione* nec non *vaginæ relaxatione* vtpote diuerſis malæ conformationis et figuræ morbis, nobis acturis, neceſſe erit, præmittere veram harum procidentiarum deſcriptionem.

§. II.

Eſt autem *vteri prolapſus*, oſculi et colli vteri, vel in ſinum pudoris vel extra genitalia procidentia, *inverſio*, deſcenſus fundi vteri per orificium eius vel in ſinum pudoris vel extra genitalia, *relaxatio* tandem vaginæ, atonia tunicæ præprimis internæ rugoſæ extra pudenda plus minus propendentis.

§. III.

Hi diuerſæ indolis morbi in genere quidem nomine *vteri procidentiarum* (a) veniunt, adeo quidem, vt hoc

(a) WEDELIVS *ephem. germ.* et BARBETTE prolapſus vteri vocant hernias vterinas, quibus forſan latus huius vocabuli, ſignificatus arridet, minime tamen his applicandus, cum non omnes herniæ ſint ſpecies procidentiarum. Factum inde, vt per funeſtos vterorum ad inguina more herniarum decubitus *in genere prolapſus* intellexerint. conf. TAVLLERVS *quæſt. V.* Διασκεψεων Χειρουργικων. SENNERTVS *inſtitut. Part. I. cap. II.* Germ. dicunt Einen Ausfall oder Fürfall der Gebähr-Mutter, Mutterſenckung und Umſtürtzung derſelben, Verſchlapfung der Mutter-Scheide. Duas potiſſimum prolapſus ſpecies recenſet MAVRICEAV, *libro*, qui inſcribitur *Traité des maladies des femmes groſſes*

hoc vocabulum differentibus his ſpeciebus reſpondere et græcorum πρόπτωσις τῆς ὑστέρας (b) teſte SENNERTO vaginæ relaxationem vterique prolapſum et inuerſionem comprehendere dicatur; cum vero a ſe inuicem differant; (§. II. XVII. XVIII. XIX. XX.) ſola hac procidentiæ vterinæ denominatione commode comprehendi nequeunt.

§. IV.

Diuiduntur procidentiarum vteri ſpecies vel in *completas* vel *incompletas*. Completa inuerſio et *perfectus prolapſus* vteri dicuntur, ſi vel fundus per orificium vteri ductus, vel orificium vteri extra genitalium limites dilatatis labiis deſcendant; *imperfecta* audit vtraque ſpecies, ſi vel vterus inuerſus vel orificium vteri prolabentis intra rimam magnam ſubſiſtant. Perfecta poſtea vocatur vaginæ relaxatio, ſi tota tunicæ vaginæ pars tam ſuperior quam inferior extra pudenda prominet, *imperfecta* autem, ſi vel *anterior* pars veſicam vrinariam reſpiciens, vel poſterior verſus inteſtinum rectum directa plus minusve relaxata prolabitur, adeoque portio vna vaginæ priori oppoſita ſitum adhuc retinet naturalem. Præterea ſunt vel *ſimplices* vel (c) *compoſitæ*, prout aliarum vicinarum partium ſimul concurrit prolapſus.

§. V.

groſſes Tom. I. Lib. III. cap. VI. pag. 390. ſeq. Priorem quem dicimus incompletum prolapſum, vocat *la deſcente ou relaxation de la matrice.* Sed vocabulo *la chûte ou precipitation* ſignificat prolapſum vteri completum et inverſionem eius, melius autem diſtinguit ſpecies LA MOTTE *Traité complet des accouchemens naturelles nonnaturelles et contre nature. Lib. V. cap. XI. pag. 807.*

(b) Prax. Lib. IV. Part. I. Sect. II. cap. XV.

(c) vid. PEV *pratique des accouchemens Lib. II. p. 584.*

§. V.

Ad *possibilitatem* et *actualitatem* procidentiarum quod attinet, modus possibilitatis explicatur ex ipsa vteri structura, situ et connexione. Situs est vterus in hypogastrio seu pelvi, vesicam inter et intestinum rectum, tanquam inter duo puluinaria, non eam tantum ob caussam, vti GRAAFIVS (d) putat, quo *scilicet homines ex fragili et peritura materia inter stercus et urinam nati et in terram ac cinerem resoluendi, vilis et abiectæ suæ conditionis memores superbiæ alas demitterent*; sed sicuti ipse post modum consentit, præcipuam huius situs rationem commodum aptissimumque generationis locum respicere, cum pelvis non liberam solum concedit vtero expansionem, verum (e) ossibus, quibus constat, tanquam tutissimis

(d) *de mulierum organis generationi inseruientibus pag. 92.*

(e) An ossa pubis vel ilei inter parturiendum semper seiungantur? apertura pelvis in omni partu maxima fiat? ossa pubis diducantur? totalisque contingat ossis sacri retrocessio? non constat. Concedit quidem MANINGHAM *Compend. artis obstetric.* separationem aliquam ossis sacri ab ossibus ilei, cuius articulatio ad mentem eius mobilis est; necessaria autem illa non semper esse videtur, cum vel facilis vel difficilis partus fundamentum non tam in pelvis magnitudine et apertura, quam vteri potius situ rectilineo et obliquo quærendum conf. Dn. D. PRAESIDIS *disquisitionem I. de situ vteri grauidi* MANNINGHAM *Compend. citat. append. loc. addit.* Concurrit tamen ipsius peluis apertura ad negotium partus, non quatenus a seiunctione ossium totali illa amplior redditur, sed quatenus a retrocessu ossis sacri quoad acumen seu os coccygis nonnunquam cavitas augetur, quæ natura prudenter fœminis prospiciente, initio iam maior fuit facta, quum 1) ossa peluis tenuiora in sexu sequiori obseruentur, 2) notante *celeb.*

tiſſimis mœniis, partes internas nobiliſſimas contra externas defendit iniurias.

§. VI.

Licet autem vterus præprimis laterales eius partes, per ligamenta lata membranacea cum peritonæo continua, et ex eius vera lamina duplicata interueniente cellulosa ſeu externa ſpuria compoſita, peluis parietibus iungantur, vterusque (f) rotundis ligamentis valde

HEISTERO angulus inter oſſa iſchii et pubis maior exiſtat, et ſecundum GRAAFII *obſeruationes* coxarum capacitas amplior ſit viris. Interea non negamus in mala præſertim oſſium conformatione vel nimia ſæpius peluis anguſtia fieri poſſe, vt ob inſignem vteri expanſionem præprimis autem motuum vim caput fœtus in oſſa pubis adigatur, et hanc ob cauſam in iunioribus oſſa parum tantum (niſi forſan ſub violenta eiusmodi fœtus mortui extractione plenaria contingat ruptura) a ſe inuicem diducantur. Sic Cel. MORGAGNVS oſſium ſæpius dilatandorum per curſum grauiditatis diſpoſitionem non vero maturi tantum partus momento productum euentum diiudicat, media et ſicuti iudicat, tutiſſima via cum SPIGELIO, SENNERTO, BARTHOLINO, VERHEYENIO, VESLINGIO, BLASIO, DEVENTERIO, incedens, præprimis cum SANTORINVS *obſeruat. anatomic. cap. XI.* ſententiam HARVEI, DIEMERBROECKII, LVDOVICI, PARAEI, aliorumque contra MAVRICEAV, LAVRENTIVM HVBERTVM, LVDOVICVM MERCATVM et alios in contrariam abeuntes ſententiam, fide ac auctoritate confirmet; nam *oſſa pubis*, inquit, *in recenter denatis puerperis, quamuis non ſæpius dirempta vidi, in aliquibus tamen ita diducta reperi, vt et noſtrum et chirurgi, qui tum aderat, facile fuerit pollicem transuerſum indere.*

(f) De fibris ligamentorum lacertoſis in puerperis et prægnantibus

valde elaſticis, quæ a ſuperiore fere vteri parte, exorta in pinguedine iuxta inguina et oſſa pubis terminantur, naturaliter iuſto æquilibrio ſeruetur, nec non pars anterior eius et inferior ſeu collum vaginæ cohæreat: fundus tamen vteri, qui a fœtu et ſecundinis quidem expanditur, ſed craſſitie (g) non imminuitur, liber ſuique iuris eſt et variis loci mutationibus nec non expanſionibus et conſtrictionibus ſubeundis aptus. (h)

§. VII.

tibus conſpicuis et de eorum ſtructura conf. quæ paſſim apud REGNERVM DE GRAAF. *lib. cit. pag. 148.* et apud SANTORINVM *lib. cit. pag. 220.* occurrunt.

(g) vid. Dn. D. PRAESIDIS *disquiſ. ſupra citatam de ſitu vteri gravidi* etc.

(h) Male motum quendam quaſi voluntarium forſan ad DEMOCRITI mentem, qui vterum vocauit animal in animale *ζωον εν ζωῳ* ANDREAS LAVRENTIVS vtero concedit ventris regionem perambulantem. Hiſt. enim anatomic. Lib. VII. cap. XI. de vſu vteri ligamentorum ſequentia refert. *Horum vinculorum vſus mirabilis eſt. Quum enim ſæpe per totum ventrem aberret vterus, dum eſt infructuoſus, nunc vel ad præcordia et hepar, ικμαλέον fontem gratioſi vaporis recurrat, nunc per latera vagetur, nunc deorſum feratur, dum libidinis furiis agitatur: debuit vinculorum opera huius motus tanquam fræno coerceri* etc. Melius rectiusque inter alios explicuit facultatem variæ mutationis localis vteri REGN. DE GRAAF. quando *lib cit. pag. 92. Non ſemper*, inquit, *in medio præciſe collocatur vterus, ſed quandoque licet rarius, illum nunc magis verſus dextram nunc magis verſus ſiniſtram hypogaſtrii partem ſitum offendimus, quod præſertim in prægnantibus ab aliis anatomicis notatum inuenimus*, deinde pag. 102. *vterum in gravidis ita amplificari* tradit, *vt, qui ante imprægnationem oſſis ſacri initium non ſupergreditur, fundus eius poſtea ad vmbilicum et vlterius extendatur, ac totam pelvim*

§. VII.

Præter vteri expanſionem in grauidis vltimo geſtationis menſe, noua quædam contingit ſitus mutatio ratione ſpecificæ grauitatis, qua vterus grauidus tendit verſus vaginæ orificium. Vocant illam *vteri deſcenſum*, germanice **Der Leib hat ſich geſencket**, variis, in infima hypogaſtrii parte ſtipatum incommodis. (i) Plurimi recentiorum eum, vel cum fictitia (k) fœtus verſione, quæ octauo menſe vel initio noni fieri dicitur, confundunt, vel ab hoc figmento originem huius deſcenſus deducunt.

§. VIII.

vim non ſolum adimpleat; verum etiam inteſtina tenuia et reliqua viſcera ſurſum comprimat. cf. quoque DEVENTERIVS, qui *Operat. Chirurgic. Obſtetricibus nouum lumen exhibentibus c. IX.* hac de re fuſius egit.

(i) Cum vterus ratione variarum mutationum, quibus obnoxius eſt, priſtinum non ſemper retineat locum; mirandum non eſt, qui fiat, vt vtero toto pondere regioni pubis et veſicæ vrinariæ incumbente, gravida vel ad mingendum ſæpius frequentiusque excitetur, vel vrinæ excretio plane ſupprimatur; compreſſo vero a mole inteſtino recto aluus nimis adſtricta reddatur, immo a compreſſis vaſis maioribus et impeditum liberum ſanguinis per venas regreſſum tumor pedum oriatur œdematoſus. Vid. DEVENTER. *l. c. p. 59.* Symptomatum periculoſæ aleæ plenorum retentionem vrinæ comitantium mentionem faciunt MEMOIRES *de L' academ. Royal. des ſciences* 1708. KOCH de *affect. veſic. rariſſ.* expanſionis vltra gradum veſicæ EDIMB. *Soc. IV. pag. 449.* mortis ex retentione vrinæ. CHAPMAN *improv. of Midwifery. Caſe 40*, iſchuriæ a veſica compreſſa EPHEM. NAT. CVR. *Dec. VI. obſ. 126.*

(k) Impoſſibilitatem dictæ verſionis variis ex rationibus ſufficientibus demonſtrat Dom. D. PRAESES in *præf.* ad *Compend. R. Manningham.* et *adiuncta ipſi diſquiſ. I. cit.*

§. VIII.

Ab hoc vteri deſcenſu, qui inſtante partus negotio vi motuum ad excluſionem fœtus ſecundinarumque directorum æquali vi naturaliter et vlterius promouetur, rugoſæ alias vaginæ longitudo ita mutatur, vt canalis in ſtatu extra grauiditatem ſeptem vel octo digitos referens, tempore partus, ruptis membranis et orificio vteri ſatis dilatato, nec non capite fœtus verſus pudenda tendente, iuſto breuior fiat, orificia autem vteri et vaginæ communem quaſi ductum pro tranſitu fœtus facilitando conſtituere videantur.

§. IX

Sicuti igitur hoc reſpectu orificium vteri partus tempore ſemper verſus vaginæ os premitur, ita relaxatis nimis partibus ac continuo in partu maxime difficili nixu, niſi cito miſeris parturientibus ſuccurratur auxilio et conſilio, ante fœtus excluſionem propelli aut vi ab imperitis obſtetricibus extrahi ſolet. Cuius rei varios triſtes euentus, additis præcauendi ſcopo cautelis quibusdam practicis paſſim relatos legimus. (l)

§. X.

Hic naturalis itaque vteri deſcenſus *morboſi poſſibilitatem* indicat, virorum vero clariſſimorum auctoritas et

(l) vid. DIONIS *traité general des accouchemens cap. XIII. pag.* 266. MAVRICEAV *lib. cit. pag.* 398. DEVENTER. *operat. chirurg. cap. XIX. pag.* 130. MANNINGHAM *l. c. pag.* 61. MVNNICK *chirurg. lib. I. cap. XXXIII.*

et obſeruationes quamplurimæ, eiusdem *actualitatem* (m) confirmant. Mirandum igitur nonnullos (n) veritatem facti denegaſſe, præprimis autem KERCKRINGIVM (o) eos, qui vterum foras prodire et extra corpus propendere exiſtimarunt, cultro anatomico impugnaſſe, cum tamen nec cultelli acies acuta ſatis, nec ſtrenui deſcenſus vterini impugnatoris diiudicandi ratio exquiſita denegandæ veritati luce meridiana clariori ſuffecerint.

§. XI.

Infirmis enim fundamentis nititur eius demonſtratio. Concedimus quidem ſarcomata aut alias vaginæ excreſcentias foras propendentes cum vteri procidentiis confundi poſſe, præprimis cum citat. vir de ſimili fungoſa ſubſtantia, quam in puella obſeruauit, refert,

(m) Conf. FELIX PLATERVS in *obſerv. Lib. III. Dom. de* MARCHETTIS *anat. Cap. VII.* IACOB. PRIMEROSIVS *de morb. mulier. Lib. II. cap. XV.* VESLINGIVS *Syntagmat. anat. cap. VII.* BARTHOLINVS *Anat. reformat. Lib. I. Cap. XXVIII.* PEIERVS *E. G. Dec. II. ann. I. obſ. 14. 84. 91. 94.* SALMVTH. *Obſ. Cent. I. LXXVII.* RVYSCHIVS *obſ. anat. chirurg.* VOELTER. *ſchola obſtetric. pag. 158.* MAVRICEAV, LA MOTTE, DEVENTER. *loc. cit.* VIARDEL *obſerv. ſur la pratique des accouchemens Cap. XXX. pag. 211.* PEV *lib. cit. cap. XXI. pag. 582.* AMMAND. *nouvelles obſervations ſur la pratique des accouchemens obſerv. LXII. pag. 214. ſeq.* MESNARD. *libr.* cui titulus *Guide des accouchemens artic. 2. pag. 49. ſeqq.* etc.

(n) ETMVLLERVS, BARBETTE, DECKERVS, HORNIVS alii prolapſum vteri nunquam aut rariſſime nec niſi a cauſſa tantum externa violenta accidere affirmant.

(o) *Obſerv. anatom. XX. pag. 49. et obſ. LIII. pag. 113.*

refert, ſe inueniſſe *ſarcomatis rudimentum inſtar dactyli, orificio vteri interno adhæreſcens, quod ſi tempore adauctum fuisſet, eadem ratione incautis chirurgis vel medicis impoſuiſſet, qui vterum ſemper immobiliter loco ſuo conſiſtentem tanquam vagantem per omnes partes ventris cum* LAVRENTIO, *vel tanquam procidentem cum plerisque aliis indicaſſent*: ab ignorantia tamen nonnullorum ad negationem rei non valet conſequentia, ſiquidem ipſa ratio dictat, fungoſas excreſcentias (p) ab vteri procidentiis vtpote diuerſis affectibus, diſtingui poſſe. Hinc neque his nec aliis ab arcta vteri cum vicinis partibus cohæſione, vel ipſa vteri grauidi ſubſtantia deductis rationibus calculum noſtrum apponimus, ſed vteri partes omnes elaſticas, variis mutationibus, conſtrictioni, relaxationi et rupturæ, (q) obnoxias eſſe affirmamus.

§. XII.

(p) *Excreſcentia fungoſa* vterum prolapſum ſimulans deſcribitur *miſcellan. N. C. Dec. I. ann. II. obſ. 121.* item inuerſus vterus carneis excreſcentris plurimis obſitus *Miſcell. N. C. Dec. II. an. I. obſ. 186.* RVYSCHIVS *excreſcentias vterinas*, quas *polypos vteri* quoque dicunt, ſæpiſſime obſervauit, interim bene diſtinguit ab vteri prolapſu et inuerſione conf. *obſ. LVIII. pag. 54. ſqq.*

(q) De vtero toto extra vulvam ita prolapſo, vt illum exſtirpandi neceſſitas poſtulauerit, memorabilia quidem referunt exempla PAVLVS AEGINETA, PAREVS, MERCVRIALIS, FERNELIVS, SENNERTVS, LANGIVS, BONETVS; ſed, ſit alias fides penes auctores, quæritur iam dum de veritate facti valde dubitamus, an hæc vteri exſtirpatio, quam ſine vitæ diſcrimine factam fuiſſe affirmant, non potius pro vaginæ prolapſæ abſciſſione ſit habenda? (§. XIV. XV.) præprimis ſi triſte illud exemplum et crudele inſtitutum nobis in mentem incidit, cuius RVYSCHIVS meminit *obſ. annat. medic. chirurgic. obſ. VII. p. X.*

§. XII.

Itaque, ſtabilita veritate prolapſus vteri, nos accingimus ad conſiderationem *inuerſionis* quatenus vel fieri poteſt vel vere contingit. *Poſſibilitatem* eius euincimus ex libera fundi vteri expanſione, (r) ligamentorum relaxatione, et violenta placentæ vtero præternaturaliter adhærentis (s) extractione. Si itaque verum, collum et latera vteri, excepto fundo cohærere partibus adiacentibus, ſequitur illa vi cuidam magis reſiſtere poſſe, fundo vteri, qui, facta poſt fœtus excluſionem funiculi vmbilicalis violenta extractione in conſortium abripitur, et, niſi contingat ruptura funiculi, per apertum ſatis vteri orificium vna cum ſecundinis ducitur.

§. XIII.

Quamuis autem non negandum, alteram hanc vterinæ procidentiæ ſpeciem ſeu inuerſionem, ſub qua fundus

(r) Vterus poſt fœtus excluſionem ſæpiſſime inæqualiter vel expanſus vel conſtrictus deprehenditur. Obſeruatur id quam maxime in partubus præternaturalibus, in quibus peracta operatione auctores manum rurſus vtero immittere iubent, quo ſanguis in illo adhuc contentus euacuetur, et obſeruetur, num vterus æqualiter expanſus ſeſe circa manum conſtringat? DEVENTER igitur, van HORN, CHAPMAN, GIFFART, Dn. D. PRAESES, facta ſanguinis euacuatione, dorſo manus caute vteri fornicem reſtituunt et quasuis occurrentes plicas adæquant, quo æqualis contingat vteri conſtrictio, dolores poſt partum vehementes imminuantur, vterique inflammatio, ob vaſa compreſſa, quantum fieri poteſt, impediatur. (§. XXXI.)

(s) RVYSCHIVS *aduerſariis anat. num. X. contingit*, inquit, *placentam fundo matricis cauo, conuexitate ſui corporis adeo accretam adhæreſcere, vt in vnum fere corpus miris coaluiſſe modis viſum fuerit.*

dus vteri instar chirothecæ vel marsupii inuertitur et per orificium vteri protrahitur, priori rariorem esse morbum externum; de eius tamen possibilitate non est, quod dubitemus, præprimis cum accedant virorum (t) fide digno-

(t) Eiusmodi obseruationes vid. apud TH. BARTHOLINVM *Hist. anat. cent. II. hist. 91.* RVYSCHIVM *observ. anatom. chirurg. Cent. I. obs. X.* Conf. quoque PETR. MARCHETTIS *obseruat. LXI.* STALPART: *van der* WIEL *observ. LXVII.* HILDANVS *Cent. IV. obs. LX.* ISBRAND. DIEMERBROECK. *anatom. Lib. I. cap. XV.* MAVRICEAV *Lib. cit. cap V. pag. 390.* GERH. BLASIVS *obseruat. anat. pag. 128.* LA MOTTE *lib. cit. pag. 806.* AMMAND *lib. cit. obs. LX. pag. 160.* et *obs. LXII. pag. 214.* PEV *Lib. cit. pag. 585.* Inter alios autem CHAPMAN *Lib. cit. cas. XXIX. pag. 123.* tristem refert obseruationem, quæ, quum euidens ignorantiæ plurimarum obstetricum exhibeat testimonium, (siquidem ab earum peruerso operandi modo, vti antea iam dictum, accidit vt plurimum vteri inuersio,) illam pagellis nostris inserere dignam iudicauimus.

CASE XXIX.

A Woman killed by an Inversion of the uterus.

I was, in the greatest Haste, sent for to a Woman Six *miles distant from me; to whom I went with all possible Speed, but found on my Arrival, that she had been dead, near half an Hour. I conjectured she hat died by* flading; *but, upon asking the Question, was answered in the Negative. The Midwife told me, that the After-Birth stuck so fast in one Part, that she was not able with all her Strength to take it from her, though she had gained most of it. Upon this I desired the favour of seeing the Corps, which being granted, I found, to my great Surprize, that the Uterus was inverted, and entirely out of the Body, hanging down between the Thighs, with the Placenta adhering to its Fundus, which I separated before the Midwife, and several Matrons there present, and convinced them*

dignorum auctoritas et obſeruationes, vtpote qui ea, quæ ad hiſtoriam, cauſæ cognitionem, curandi et præſeruandi modum pertinent, fideliter tradunt.

§. XIV.

Tertia procidentiæ ſpecies, *vaginæ* ſcilicet *relaxatio*, non ab omnibus auctoribus ab vteri prolapſu rite fuit diſtincta, (u) ſed pro eadem ſæpiſſime habita: aliam autem eſſe huius rationem, aliumque fiendi modum, tam ex vaginæ ſtructura quam partium differentia optime diiudicamus. Præter differentiam enim ſatis notam conſtat, vaginam variis tunicis, muſculoſa, glanduloſo-neruea, celluloſa, et interna plus minus rugoſa inſtructam eſſe, hinc facillime, ſicuti fit in ani procidentia relaxatis fibris muſcularibus, vel in aliquibus vaginæ locis, (x) vel in toto eius ambitu procidentiam oriri poſſe.

§. XV.

all of the diſmal Accident. This Woman, it ſeems, had a very good and eaſy delivery of the Child; but that born, the Midwife pulled hard at the String, and ſo brought down the Uterus, which as ſoon as ſhe could take any hold of ſhe did: And then pulling with freſh violence, and not being deterred by the loudeſt Cries, the poor miſerable Woman in a few minutes fell into ſtrong Convulſions and Deliquiums, and ſo expired. Thus was a young healthy mother cut off in the Bloom of Life and caſt into the cold Arms of Death, juſt as ſhe was about to clasp her firſt-born in her own.

(u) conf. DAVID *van der* BEECK. in peculiari *diſſ. de vteri procidentia.*

(x) Duplex procidentia diuerſis in locis duos renes vitulinos referens deſcribitur a WEPFFERO *Eph. Germ. Dec. II. ann. V. obſ.* 150.

§. XV.

Interim eiusmodi relaxationem ſæpius cum vteri prolapſu coniunctam eſſe et extra pudenda propendentem vterum verum mentiri, variæ auctorum teſtantur obſeruationes. (y)

§. XVI.

Quæ itaque inter tres ſpecies intercedat differentia, ex prioribus patet, ſimulque cognoſcitur, *vteri prolapſum et vaginæ relaxationem*, ſiue completa ſiue incompleta ſint, tam in virginibus quam mulieribus *extra ſtatum grauiditatis et poſt partum* contingere, *inuerſionem* autem vteri poſt *excluſionem fœtus* aperto ſatis orificio vteri a violenta qualicunque cauſa externa et ipſi iuncta vi interna tantum fieri poſſe.

§. XVII.

Ab hac differentia ducimur ad diiudicanda ſigna *triplicis procidentiæ diagnoſtica.* In completa et incompleta vteri inuerſione, quæ viſu tactuque explorari poterunt, obſerua-

(y) RVYSCHIVS in muliere annoſa molem propendentem, quæ ſecum rapuit portionem veſicæ, a ſe obſeruatam, deſcribit *Obſerv. anat. chirurg.* vid. quoque MEECKERN *obſerv. med. chirurg. c. LIV. Miſc. N. C. Dec. II. an. X. obſ. 181. Dec. III. ann. V et VI. obſ. 226. Eph. germ. Dec. II. ann. I. obſ. 84. Dec. II. ann. IX. obſ. 149.* PEV *l. c.* MAVRICEAV *l. c. pag. 397.* LA MOTTE *l. c. cap. XI. pag. 807.* DEVENTER *l. c.* MESNARD *l. c. artic. II. pag. 49.*

seruamus, placentam ope funiculi quidem extractam, sed fundo vteri eiusque substantiæ adhærentem, et aditum in eius cauitatem occludentem. Placenta ab vtero inuerso separata excitat insignem hæmorrhagiam propter vascula eminentia aperta, quæ optime delineauit RVYSCHIVS et aliquoties mercurio viuo iniecta inter præparata Excell. Dn. D. PRAESIDIS conspicere mihi licuit. Figuram habet pyri magni inuersi, cuius circumferentia maxima circa vaginæ orificium offenditur, pars vero fundi vteri per eius orificium descendens pediculum refert, illudque ita occludit, vt plane euanescat et circulo tantum mucilaginoso albicante obductum cernatur.

§. XVIII.

Huncce statum vteri præternaturalem comitantur dolores maximi præprimis in regionibus lumbaribus et circa genitalia, tumores partium inflammatorii, ischuria, alui constipatio; fluxus lochialis suppressio, pulsus celer et durus, præcordiorum anxietates, prostratio virium, animi deliquia, et reliqua iunctæ febri inflammatoriæ signa.

§. XIX.

Prolapsus vteri completus et incompletus ratione mutatæ vteri figuræ eiusque orificii a priori specie tam oculorum acie, quam tactu optime distinguendus est. Reliqua huic affectui familiaria symptomata sunt præprimis dolores tensiui in regionibus lumborum, ossis sacri

et

et hypogaſtrii, pondus pro ratione prolapſus intra genitalia maximum, motum corporis diverſimode impediens. Uterus in vaginæ cavitatem irrepens, et inſtar cunei inter duo receptacula excrementorum hærens ea valde comprimit. Percipitur ſimul ardor (z) in genitalibus, et excoriatio vtero ab vrinæ effluxu inducitur. Accedente vero inflammatione partium, ſigna §. XVIII. indicata, concurrunt.

§. XX.

In relaxatione autem vaginæ conſpicimus membranam internam vel quaquaverſum, vel in certa tantum parte e genitalibus propendentem, rugas vaginæ minores attritas & prorſus obliteratas. Quo magis autem extra genitalia prodit, eo magis attenuatur interna ſuperficies, excoriatio partium et dolores ſub emiſſione urinæ contingunt. Si procidentia hæc juncta ſit cum uteri prolapſu, ſimul ipſi reſpondent ſigna antecedenti paragrapho expoſita.

§. XXI.

A ſignis progredimur ad *cauſarum* cognitionem, ſub qua-

(z) HIPPOCRATES *de morb. mulier. Lib. II. Sect. V. num. 30. p. 655. Si vteri extra naturam proceſſerint, pudendum et imum ventrem igneus calor detinet, vrina crebro ſenſimque ſtillat pudendumque vehementer mordetur. Hoc autem accidit, vbi recenter a partu cum viro dormierit.*

quarum ſcrutinio reſpicimus tam ad *antecedentes* quam *proximas*. Accuſamus placentæ ad fundum uteri nimis relaxatum præternaturalem accretionem utpote cauſſam remotam *inverſionis*. Quid enim valeat ejusmodi ſitus placentæ et adhæſio in producendis diverſis ſymptomatibus, docuit inter alios præclare STVARTVS *diſſert. de Secundinis nocivis* æque ac ſalutiferis. Mirum inde non eſt, accedentibus aliis v. g. laborioſo partu, niſu fœtum excludendi validiori, excluſo fœtu excrementa excernendi fortiori conatu, violenta (aa) funiculi vmbilicalis

(aa) REGNERVS DE GRAAF. L. c. p. 146. *Quantum ad nos attinet*, inquit, *exiſtimamus, in difficili partu, dum placenta vtero firmius adhæret, et ab imperitis obſtetricibus nimium attrahitur, inuerſionem aliquando contingere poſſe, rariſſime licet eueniat;* et RVYSCHIVS l. c. *Oritur hoc malum nonnunquam ab obſtetricibus minus expertis funiculum vmbilicalem plusquam par eſt attrahentibus, vnde vterus non poteſt non ſubſequi.* Illuſtr. quoque HALLERVS de duplici vteri prolapſus ſpecie in *pathologia generali et prælect. ad* BOERHAAV. *inſtit. med. pag. 58.* erudite ita ſentit: *Vterus dum detrahitur ſimul inuertitur, quando obſtetrix placentam fortius vellendo extraxit, neque altera manu vterum ſuſtinuit; tunc enim ſi chorion vtero, firmius adhæſerit, poterit cum extracta placenta vterus deorſum educi; ſi tunc quam maxime vterus repoſitus fuerit, perpetua tamen ad prolapſum diſpoſitio ſupereſt.* Huius rei in gratiam G. BLASII obſeruationes medicæ rariores p. 42 ſeq. conferantur, præprimis autem ea, quam part. III. obſ. II. refert, notentur. Ibi enim: *Aperui ventrem defunctæ puerperæ. Obierat hac die præcedente hora quinta poſt partum, ſana alias antea, edito fœtu optime valente. Exhibuit ſe hic vteri fundus ad interiora illius converſus, ſicque ad pudendum vsque prolapſus, adeo vt vagina tota corpore hoc vteri*

licalis attractione, cujus vi fundus resistere nesciens, celeritatem et directionem sequitur, facillime accidere ejusmodi malum (bb).

§. XXII.

vteri inverso replereretur, quod etiam arcte adeo a contracto vtero detinebatur, vt non nisi robore summo, atque violentia, ope per pudendum immissi instrumenti, sursum detrudi, sicque in naturalem locum reduci potuerit. Imprudentiæ obstetricis, an vero nimis arctæ cohærentiæ secundinarum cum vteri membrana interna, hoc malum adscribi debeat, non meum determinare, hoc tamen addo, retulisse adstantes mulieres, quæ in partu obstetrici auxiliares fuerant, quam primum fœtus in lucem prodiisset, exclamasse obstetricem adhuc alium in vtero hærere fœtum, sicque extra pudendum protraxisse corpus aliquod rubrum, ad cujus adspectum consternatæ adsidentes, imperitiæ illam accusarunt, ab opere desisteret serio admonentes, quod etiam fecit, postquam, in quantum vel per vteri contractionem vel per ignorantiam, licuit, extra pudendum dependens, introrsum iterum compulit. Vasa omnia sanguine hic adeo destituebantur, vt etiam quocunque loco cultro Anatomico aperta nil ejus funderent, subsidentibus in totum tunicis; quem etiam sanguinis defectum ex immoderato fluxu, ob secundinæ violentam separationem extractionemque causatum, mortis subitaneæ causam iudicamus. conf. §. XIII. not. t.

(bb) Tradunt nonnulli; se aliquot dies post partum contingentem eiusmodi inuersionem ab induratis scybalis et vehementi alvum excernendi pressione, obseruasse, vasaque fundi vteri per orificium vteri hiantia constricta et mucilaginosis punctis non vero sanguineis tincta inuenisse; an vero a sola pressionis vi eiusmodi inuersio vteri contingere possit? valde dubito, incompletam autem fuisse antea iam inuersionem malumque a voluntario motu violento auctum et inuersionem completam redditam, ex supra adductis rationibus potius diiudicari licet. Cæterum conf. RVYSCHII *obs. X. pag. 12.*

§. XXII.

Cauſæ prolapſus uteri variæ ſunt. Motus enim violenti diverſæ ſpecies, ſicuti hernias ita quoque vteri procidentias producere valent in phlegmaticis maxime, ad cachexiam pronis, colluvie ſeroſa abundantibus, vt et in illis, quæ ex recenti puerperio viribus adhuc imbecillibus, partibusque utero continuis nimis relaxatis (cc), gaudent. Harum autem in numerum referri ſolent vehementes tuſſes, clamores, extenſiones violentæ artuum, labores duriores, teneſmi, contuſiones graves, lapſus, ſaltationes, equitationes, violentæ ſternutationes, ponderum ſublevationes, vomitus, deſaltationes ex alto divaricatis cruribus, aereque retento, & quæ ſunt reliqua, quæ contra ſententiam ROONHVYSII procidentias producere, & mala inveterata reddere poſſunt deteriora (dd).

§. XXIII.

(cc) HIPPOCRAT. *de morb. mulier: Lib. II. Sect. V. num. 40. Quælibet*, inquit, *occaſio ad commouendos vteros ſatis eſt, ſi quid vitii habeant. Id enim vel ex pedum et lumborum frigore contingit, et ex ſaltatione, animi conſternatione, lignorum ſectione, curſu ad acclivem vel declivem locum et ex aliis plurimis.*

(dd) Illuſtr. HALLERVS præclare l. c. doce, thunc morbum frequentem eſſe, et oriri ſæpe, *quando continuo a partu mulier, nimis ſana, nixum edit, aut ambulat, quod inter pauperculas ruſticas mulieres frequenter fieri ſolet: tunc enim omnia circa vterum aperta et laxa ſunt, qua puer nuper tranſiit, et vterus facile extrorſum decumbit.*

§. XXIII.

Enarratis iam causis, aliæ annumerari merentur vel *a vi partus* vel *a nimia humiditate* deductæ. Sub partu enim laborioso caput fœtus sæpius una cum orificio uteri, nisi illud digitis lateraliter retineatur, extra pudenda propellitur (ee); accedentibus autem adhuc post partum ejusmodi conatibus & pressionis vi, mirum non est, effectus relaxati nec in pristinum statum restituti uteri subsequi. Deinde quod nimiam attinet humiditatem ipsa ratio docet humores a toto corpore defluentes, ligamenta vteri humectare ac relaxare posse, simulque experientia confirmat in locis humidioribus hunc morbum satis familiarem esse. His itaque ductus rationibus recte judicat GRAAFIVS, (ff) prolapsum vteri in virginibus posse contingere. *Meminimus enim*, inquit, *nos uno tempore ad quatuor diversas filias, quarum virginitas innoxia habebatur, vocatos fuisse, quæ uteri prolapsu laborabant, quibus partim fomentis adstringentibus, partim annuli cerei in pudenda immissione, non vulgare attulimus auxilium.* Hinc facile diiudicandum, cur abusum balneorum et vnguentorum emollientium, ipsumque fluorem album (gg) inter causas retulerint auctores, quæ

(ee) *Etsi fœtus situm rectilineum retineat, inter labores tamen parturienti, sine magno conatu, contingere posse vteri eiusque vaginæ procidentiam, si scilicet pelvis nimis ampla fuerit ad proportionem vteri, et quid in illo continetur, si insuper os vteri crassum sit et durum, ipsaque muliebria laxa facile dilatentur;* testatur DEVENTER. *l.c. p.79.*

(ff) *L. c. p. 153.*

(gg) Conf. *hist.* præfamine huius dissert. descriptam. Obser-

quæ prolapſum vteri excitare valent, et quomodo fiat, vt humores in rugis et plicis vaginæ adhuc ſubſiſtentes mora acrimoniam induant parteſque arrodant.

§. XXIV.

Cognitis hiſce *proximam* eruimus, quam ligamentorum, præprimis vteri rotundorum, vel relaxationem (hh) vel violentam avulſionem et abruptionem (ii) eſſe arbitramur. Non vero plenariam hic ab vtero, vel parte, cui infiguntur ligamenta, intelligimus avulſionem, ſed, vt MAVRICEAV iudicat, incipientem fibrarum quarundam ſeparationem, qua ligamentorum longitudo augetur, eorum autem renifus et vis elaſtica imminuitur.

§. XXV.

ſeruauit Dn. D. Præſes aliquoties, peractam modo infra explicando, prolapſus vteri repoſitionem, excepiſſe fluoris albi antea ſuppreſſi, excretionem, materiamque mucilaginoſo - glutinoſam albicantem e genitalibus profluxiſſe, quæ a glandulis, a nimio humorum ad inferiora affluxu, obſtructis et relaxatis originem duxit et ſpecialiſſimam poſtea poſtulavit medendi methodum. Similiter IACOB. SYLVIVS *Ligamenta vteri laxari demonſtrat aut humore multo præſertim pituitoſo (vterus enim velut quædam mulieri eſt cloaca) imbuta, aut partu crebro, vel alia ex cauſa, vt ætatis declinantis imbecillitate exſoluta aut paralyſi affecta etc.*

(hh) IACOB. SYLVIVS *Lib. cit.* oſtendit cauſam mali huius continentem eſſe *membranarum, quæ vterum vicinis partibus connectunt, abruptionem vel laxationem.*

(ii) Præter ea, quæ de crudeli vteri protractione litteris dederunt, BARBETTE, BLEGNY, MAVRICEAV, conf. *Eph. Germ. dec. II. an. I. obſ. XIV. et LXXXIV.*

§. XXV.

Sequitur iam ordine indagatio *cauſarum relaxationis vaginæ*. Inter *remotas* referimus ſtatum ad cachexiam pronum, habitum (kk) tam totius corporis quam partium quarundam rariorem, molliorem, peculiaremque genitalium diſpoſitionem, temperamentum ſanguineum et phlegmaticum. Inter efficientes vero, humores ſeroſos in libidinoſis maxime, coitu ſæpius vtentibus, ad genitalia loca confluentes, prægreſſum fluorem album, quo vel arroſio vel relaxatio tunicæ internæ vaginalis facta, fœtum ægrius per vaginam expulſum, et vel ob viarum anguſtiam, vel vteri, vel ſitus fœtus in vtero obliquitatem immobiliter ibi coarctatum, parturiendi et egerendi aluum niſum validiorem, ſub quo vagina ita inuerti poteſt, vt internus paries exterior quaſi fiat, ſicuti inuerſio inteſtini recti in equis aluum exonerantibus manifeſta eſt. Quibus tandem addimus quascunque ſub difficili partus labore ab auxiliatrice obſtetricis manu, vaginæ inductas violentias.

(kk) LVDOVIC. MERCAT. de *affect. mul. Cap.* de *vteri procident. Hoc vitium ſenibus ſubinde magnis accidit, et iis, quæ ex inſtituto vitæ (quales ſunt lotrices mulierculæ) nudos diu in frigida pedes continent, aut in frigido lapide diutius ſedent, vel aerem frigidiorem excipiunt, maxime in puerperio, aut menſtruo fluente, quod eo tempore vteri vtraque pars magis hiet. Libro quoque* EROTIS *ſeu* TROTVLAE *curandarum ægritudinum muliebrium, qui primum editus fuit inter medicos veteres latinos Aldinos Venetiis 1547.* Folio, ſimul de matricis deſcenſu, propter *neruorum remollitionem*, et *frigidorum humorum abundantiam* contingente, agitur.

§. XXVI.

Cum igitur omnia, quæ tunicam vaginæ internam durius premunt, tonumque glandularum et fibrarum valde labefactant, eiusmodi morbum externum producere valent, apparet causam proximam eius, remissionem fibrarum vaginæ vel totalem vel partialem esse, qua non rugæ solum obliterantur, verum vagina extensa nimis, prolabitur, et globosam induens figuram vterum verum sæpissime mentitur. (§. XV.)

§. XXVII.

De *prognosi harum procidentiarum* vt quædam moneamus, notandum, *inuersionis vteri* dubiam et funestam vtplurimum esse, diiudicandam autem a tempore durationis, et comitantibus eam symptomatibus. (§. XVII. et XVIII.) *Quo breuius* enim fuit tempus, contingentis *incompletæ* vteri inuersionis, eo mitiora quoque symptomata et eo facilior curatio. *Quo diutius* autem *completa* puerperam afflixit, eo difficilior et impossibilis fere repositio, cum lethalia hæmorrhagiæ, inflammationis, gangrænæ, sphaceli et plenariæ corruptionis, illam comitentur symptomata. Testatur enim RVYSCHIVS, (ll) *affectum hunc, nisi illico profligetur, mortem statim subsequi. Memini*, ait, *me bis vna in septimana hoc vidisse, nec (nisi absque vlla mora opem ferret obstetrix) vllam, præter vxorem cuiusdam Ebræi, euasisse.*

§. XXVIII.

(ll) *Operib. anat. chirurg. obs. X. p. 12.* et *tractat. anatom. de musculo in fundo vteri reperto p. 18.*

§. XXVIII.

Quid de *prolapſu vteri eiusque vaginæ relaxatione* ſit ſentiendum, ex tradita ſupra horum morborum natura perſpicitur. Quamuis enim inflammationes et corruptiones iisdem accidiſſe, ſæpius viſum fuerit, interim ſibi relictæ nec incongruis externis tractatæ, raro lethales euadunt, ſed variis tantum ſtipatæ ſunt incommodis. Collegit nonnullas obſeruationes Dn. D. PRAESES, ex quibus didici, fœminam vltra decem et plures adhuc annos prolapſu vteri incompleto, completo poſtea facto, ne dicam procidentia vaginæ, vtpote leuiori prolapſus ſpecie laboraſſe, resque domeſticas, exceptis tantum quibusdam corporis motibus, (§. XXII.) peragere potuiſſe.

§. XXIX.

Cum igitur ſaluam poſſe ad tempus ſubſiſtere vitam, neglecta etiam harum procidentiarum curatione, (§. XXVIII.) demonſtrauimus, quæritur iure, quænam *prognoſis* ratione *curationis* in genere formanda ſit? Hanc vero dubiam eſſe reſpondemus, cum reſpectus habendus ſit ad ipſum indiuiduum, genitalium diſpoſitionem, ætatis rationem, et procidentiarum conditiones. In illis enim, in quibus præſertim vteri prolapſus malum fuit inueteratum (mm) vterusque ſphæricam magnam molem

(mm) IACOB. SYLVIVS *lib. cit. Recens*, inquit, *vteri procidentia, ſi reponatur, ætas ſit adoleſcens aut florens, hæret et permanet, ægre tamen ſi veterauit (quando nec dolet nec conuelli periclitatur) reponi quidem poteſt; ſed mox leui ex cauſa relabitur præſertim ætate iam prouectiore.*

molem refert, difficulter erit reponendus et in ſitu naturali retinendus, repoſitio tamen non ſemper eſt impoſſibilis, præprimis ſi ſecundum leges certas, inferius præſcribendas, circumſpecte et caute inſtituatur. Recens autem perfectus et imperfectus vteri deſcenſus, ſi convenienter tractetur, ſpem felicis curationis promittit, ſicuti et relaxatio vaginæ more methodicorum citra inſtrumentorum quorundam auxilium, externo remediorum vſu corrigi poteſt.

§. XXX.

Accedimus iam ad *curationem*, quæ differt pro ratione diuerſitatis procidentiarum. Alium enim poſtulat tractandi modum inuerſio vterina quam prolapſus, alium rurſus relaxatio vaginæ quam prolapſus et inuerſio vteri. Generalis autem indicatio eo redit, quo vterus, qui inuerſus prodiit, in naturalem reponatur ſitum ibique retineatur, ſuperficies vteri interna vndique æqualis reddatur, et partes nimis relaxatæ ſimul roborentur.

§. XXXI.

Repoſitio autem inuerſi vteri ſine mora (nn) ita inſtituenda eſt. Vt (ſiue completa ſiue incompleta inuerſio ſit) capite

(nn) De vteri a partu inuerſione ab imperita manu lethali reddita RVYSCHIVS *oper. anat. med. chirurg. obſ. XXVI.* vbi: niſi cito auxilio ſuccurratur inuerſioni vteri, *funeſta ſit.* Legat. LA MOTTE *lib. cit. pag. 806.*

capite puerperæ decliui poſito, dorſoque eleuato, retractis ad nates calcibus, pars vteri prominens et perinæo incumbens, digitis manus dextræ, ſucceſſiue et circumſpecte in vaginam reponatur: poſtea fundus per orificium ductus leniter reprimatur, et, ne ob atoniam vteri inuerſio recurrat, dorſo manus in vteri cauitatem immiſſæ, naturalis fundi figura, vterique fornix reſtituatur, quæuis ibi occurrentes plicæ et ſulci, adæquentur, tandem manus in pugnum mutata, leniter extrahatur, antea vero paulatim ibi detineatur explorandi cauſa vtrum correctam hanc vteri inuerſionem, ſequatur eiusdem conſtrictio? quippe quæ ſpem facit reconualeſcentiæ.

§. XXXII.

Quodſi vero plures horæ a tempore inceptæ inuerſionis præterlapſæ iam fuerint (§. XXVII.) et grauiora inflammationis, tumorisque adſint ſymptomata, pars quaſi prominens indurata, per conuenientia externe applicata medicamenta aliquatenus emolliatur, ſicque fundus peragendæ repoſitioni aptus reddatur, aluus autem per clyſterem oleoſum carminatiuum blande ducatur et lotium ope cateteris euacuetur.

§. XXXIII.

Partes itaque prominentes *emolliantur* prius lacte tepido, cui ſpongia immergenda et ope illius externa genitalia fouenda, omnis autem impuritas circa ambitum orificii, per quod vteri fundus prodiit, detergenda.

In

In casu difficiliori decocta emollientium et carminatiuarum herbarum, ex farin. fabar. furf. trit. flor. malv. alth. meliss. chamomill. r. et v. sambuc. sem. carui, fœnicul. lini, in forma cataplasmatis ope linteaminum quadrupliciorum, genitalibus tepide applicentur, quo tumor minor et plicabilis fiat, vterique fundus eo facilius reponi possit.

§. XXXIV.

Peracta *repositione*, (§. XXXI.) sub qua sibilum quendam, sicuti in herniarum repositione obseruabis, quies tam corporis quam animi miseris commendanda. Præprimis autem per plures dies puerpera in situ reclinato iaceat immota, extensis cruribus et ita coaptatis, vt alterum alteri incumbat, animi pathemata, occasiones ridendi, loquendi, clamandi, tussiendi, vomendique etc. fugiat, vrinam autem vel aluum in eiusmodi situ declivi, nulla adhibita vi pressionis, commode excernat, et huius rei ob causam quotidie vtatur enemate ex lacte confecto, vel alio quodam ex speciebus emollientibus cum auena excorticata in aqua coctis parato, addito quantum satis olei chamom. coct. Externæ partes contra inflammationem et putrefactionem defendantur, specificis quibusdam, v. g. herba Saluiæ in vino cocta cum sufficiente quantitate butyri insalsi remixta, et aqua vulneraria vel sola vel cum aqua calcis viuæ, ope spongiæ aut linteaminum, tepide ipsis impositis, abdomen vero oleo rosar. inungatur, aut si opus est, species resoluentes et discutientes in vino coctæ in vsum trahantur.

§. XXXV.

§. XXXV.

Hæc quidem quoad *externa* remedia initio ſufficiant; cum ſtatim poſt applicationem eorum medentis intentio dirigenda ſit ad ſtatum corporis internum, lochialem fluxum et iunctam ipſi vtplurimum febrem. Hinc curatio indicationibus innititur ſequentibus. Status nimirum inflammatorius incipiens diſcutiendus, purgatio vterina et reliquæ excretiones blande promouendæ, motus internus auctior contemperandus, et tandem partibus tam internis quam externis tonus reſtituendus.

§. XXXVI.

Si igitur facta repoſitione vteri, fluxus lochialis non ſuccedat, ſed periculum *inflammationis* immineat, aut ipſa febris acuta iam adſit, tunc ex ſymptomatibus illam comitantibus, ob vim vtero inflictam et ſuppresſam ſanguinis per vaſa antea compreſſa excretionem eiusque ſtagnationem et ſtaſin in corruptionem pronam, recte iudicamus ſtatum vteri ſubeſſe inflammatorium, et ſecundum effatum D. MANNINGHAM *inflammationem vteri multum habere periculi, tum autem maxime, cum mulieri in primis a difficili partu diebus accidit*, arbitramur.

§. XXXVII.

Noſtrum non eſt officium, paucis hiſce lineis omnia enarrare, quæ ſpectant ad eſſentiam huius *febris*, differentiam ab aliis, et cauſarum nexum, vtpote quæ ſpecialem merentur conſiderationem. Pauciſſimis ea tantum complectemur, quæ ad ſpecialem pertinent the-

rapiam, medico quoad ineundam et feliciter perficiendam curationem ſcitu neceſſariam.

§. XXXVIII.

Inflammatio igitur vel *imminens* vel *præſens* corrigi ſolet venæ ſectione iuſto tempore inſtituta, antequam humores in corruptionem putredinoſam abeant. Hanc quidem Galli Anglique ſæpius reiterandam iubent, quæ vero methodus, noſtris in terris pluribus diſplicet minusque conducit; id obſeruare tantum licet, vt iuſta ſanguinis quantitas in plethoricis maxime euacuetur. Huic iungantur medicamenta interna leniter reſoluentia, diſcutientia et euacuantia, cui ſcopo inſeruiunt præprimis diluentia v. g. decocta ex raſur. cornu cerui, radice polypodii et graminis cum ſucco citri leniter acidulata, larga quantitate haurienda, deinde infuſum aliquod aquoſum ex rad. liquirit. cichor. gramin. herb. marrub. alb. chamædr. meliſſ. flor. ſambuc. chamom. vulg. præcipue autem floribus arnicæ, additis fœniculi vel carui ſeminibus, compoſitum.

§. XXXIX.

Commendamus vero illud, non ad *ſudorem*, ſed lenem vsque *diapnoen* hauriendum, ante laudata vero præſcribimus diluentia, humores ſpiſſos commotos tam reſoluendi quam contemperandi cauſa, tenuibusque, quæ corpus nutriunt et conſeruant, vtimur carnium iuſculis. Quo autem motus febrilis et humorum ſanguinisque inteſtinus iuſto celerior paululum infringatur

tur et contemperetur, confugimus ad *temperantia, lenia resoluentia* et *diapnoica*, qualia ſunt nitr. depurat. lapid. cancror. citrat. corn. cerv. philoſoph. præparat. antimon. diaphoret. ſuccinum alb. præparat. cinnabar. vel in formam ſubtiliſſimi pulueris, vel cum aquis quibusdam deſtillatis, e. g. STAHLII diapnoicis, ceraſ. nigr. lilior. conuall. flor. tiliæ, borrag. bugloſſ. in mixturæ formam redacta, iisdemque pro concurrentium ſymptomatum ratione et indiuidui diſpoſitione ſæpius die nocteue ſufficiente quantitate vtimur, addendo ſi opus eſt, ſecura et conuenientia moderantia.

§. XL.

Reductis itaque omnibus in ordinem et fluxu lochiali reſtituto, quod præter medicamenta (§. XXXVIII. XXXIX.) laudata, repetito ſæpius vſu pilularum B. STAHLII in refracta doſi adhibitarum, vel oleo amygd. dulc. ad aliquot cochlearia quotidie adſumto, aut vno alteroue grano extract. caſcarill. aquoſ. pulueri vel mixturæ (§. XXXIX.) remixto, obtinetur, ceſſantibusque motibus febrilibus, et facta morbi per criſin exoptatam ſolutione, tunc *tonicis* partes internæ et externæ roborandæ ſunt, et regularis poſtea ſuccedentis fluxus menſtrui ratio ſemper habenda.

§. XLI.

Inter *roborantia* non medicamina tantum leniter adſtringentia et balſamica, quæque motum ſolidorum tonicum augent referimus; verum quoque alimenta, quæ

 cor-

corpus nutriunt, ſicuti ſunt tenuia et boni ſucci. E tonicorum claſſe interno vſui inſeruientium poterunt eligi tinctura martis aperit. Ludouici, eſſent. caſcarill. cort. aurant. ſuccin. concentr. tinct. antimon. mixtur. tonic. neruin. STAHLII, externo autem ſuffitus et adſtringentia (§. LX.) nec non ſpirituoſa ad vmbilicalem, inguinalem et lumborum regiones applicata, qualia ſunt generoſa vina, rubra, aqua regin. Hungar. cum tertia parte balſami vitæ, qui ex deſtillatis oleis ſubtiliſſimis æthereis, balſamoque peruuiano, in ſpiritu vini alcoholiſato ſolutis præparari ſolet.

§. XLII.

Quodſi vero malum quoddam, vtplurimum curatu impoſſibile, ab inuerſione vteri inductum, remaneat, *vlcerationesque cancroſæ* et vteri *indurationes* contingant, tunc eiusmodi morbus iniectionibus balſamicis mundificantibus et conſolidantibus tractandus, febrique ſuperuenienti, quæ extenuationem totius corporis efficit funeſtam, conuenientibus, quantum fieri poteſt, reſiſtendum medicamentis ſic dictis antiphthiſicis et antihecticis, quorum in numero primum hic obtinent locum ſerum lactis dulce et aquæ Selteranæ cum lacte aſinino remixtæ, nec non iuſcula carnium tenuia, infuſa herbarum vulnerariarum leniterque adſtringentium, imo ſuccus ex iiſdem expreſſus.

§. XLIII.

Prolapſum vteri licet ordinarie eiusmodi non comitentur ſymptomata, (§. XXVIII.) cauſa tamen ſæpius fit alio-

aliorum malorum, et ſæpius quoque mortem producit, quare omnis periculi auertendi cauſſa ratio curandi illa eſſe debet, vt præmiſſis præmittendis (oo) generalioribus, quæ vel aluum ſoluunt vel eandem ducunt, plethoram imminuunt, impuritates vterum obducentes, ſi emollitæ prius fuerint (§. XXXIII.) detergantur (pp), vterus ad proprium locum reducatur, repoſitus ibi firmetur et roboretur, adeoque impediatur, quo minus ſublata cauſa, quæ prolapſum excitabat, iterum decidat. DEVENTERIVS enim *huic* inquit, *malo, niſi nimium fuerit, in tempore remedium invenitur, incurabili autem, peſſarii accommodantur, prolapſionem præpedientes vterumque ſuſtinentes.*

§. XLIV.

Quod ad *modum reponendi* ſpectat, non opus eſt cucurbita

(oo) Conf. HIERONYM. MERCVRIALIS de *morb. muliebr. Libr. IV.* et ALBERTIN. BOTTON. De *morb. muliebr. Cap. LXXII. Vteri* ait, *procidentia cum morbus ſit in ſitu, primum et ante omnia in proprium locum reponendus erit, quod autem hanc repoſitionem prohibere poteſt, eſt inteſtinorum et veſicæ repletio; Ideo alvus imprimis lenienda clyſtere et lotium pariter emittendum erit, mox in propriam ſedem vterus intro mittendus, qui cum inteſtinum rectum et veſicam interiaceat, ideo niſi prius hæc vaſa inaniantur, a copia ſuarum ſuperfluitatum, in proprium locum repoſitio impedietur.* Vid. quoque LVD. MERCATVS *lib. cit.* et IAC. SYLVIVS *Lib. cit.*

(pp) Nonnulli vtuntur oleo tepido vel decocto ex beta, malva, althea, ſemine lini, fœnu græci, additis cymino, baccis lauri, chamæmelo etc.

curbita magna vmbilico imponenda, (qq) nec candela cerea, qua veteres nonnulli præprimis vſi ad contumaciorem retundendum vteri prolapſum, ſed requiritur 1) apta mulieris collocatio, ſublatis coxis, invicem dilatatis et reflexis poplitibus; (§. XXX.) quo chirurgus vel obſtetrix, digitis ſcilicet indice, medio et annulari, butyro, vel oleo amygdal. dulc. inunctis prominentem plus minus vteri partem, inferiorem prius ad perinæum ſitam, dein mediam, poſtea ſuperiorem leniter et pedetentim ſuperius quantum fieri poteſt, ad locum naturalem reprimere poſſint. 2) Cum vteri non ſufficiat repoſitio (§.XLIII.) ſed vt repoſitus firmetur, concinnatum peſſarium et Figur. I. expreſſum, ad capacitatem vaginæ, butyro prius inunctum, in vaginam ſecundum longitudinem ejus introducimus, dein ſi vterum ſuperius attingit, mutato eius prius in vagina ſitu, ita collocamus, vt peſſarium parte a. a. os pubis vel ſupra illud, b. b. os ſacrum, et obtuſis extremitatibus c. c. oſſa ilei reſpiciat, foramini vero eius ouali d. d. et margini eius obtuſo e. e. e. e. orificium vteri incumbat.

§. XLV.

Quodſi peſſarium vtero rite quidem appoſitum, breui poſt tamen, inſtituto leni corporis motu, rurſus excidat,

(qq) Inter alia ad genus auxilii inutiliter refert ALBERTIN. BOTTON. *cucurbitulas non ſcarificatas, ſi vmbilico et vtrisque hypochondriis, cum magna flamma, fuerint appoſitæ: has* enim, putat, *ſurſum trahendo, vim ſuſpendendi vterum habere, et eundem in proprio domicilio retinendi.*

cidat, aliud priori maius indicata methodo, habito tamen ſemper reſpectu ad vaginæ capacitatem, erit applicandum, quo eo firmius in loco ſubſiſtens vterum in ſitu naturali retinere, mulier labores, exceptis grauioribus, peragere poſſit, ſimulque excretiones tam fluxus menſtrui, quam aliarum impuritatum, quæ in rugis vaginæ colligi ſolent, nec non liquoris obſcoeni et aluinæ, ordine et conſueto tempore ſuccedere valeant; interim cavendum, ne partibus adiacentibus vim inferant, vel dolores, tenſiones, preſſiones, inflammationes, vel corruptiones excitent.

§. XLVI.

Quando vero nobis ſermo eſt de peſſariis, ſilentio præterimus veterum medicamina oblonga, quæ in craſſioris longiorisque digiti formam efformata, adverſus vteri affectus varios HIPPOCRATES et alii commendarunt; ſufficiat inpræſentiarum ex recentioribus nonnullorum mentionem facere, quæ in eiusmodi affectibus uſui venire ſolent. Sic SCHLEVOGTIVS *diſſ.* de *muliere gravida lapſu vaginæ vteri laborante*, recte cenſet PECHLINVM, *qui ex cornu vervecis ramentis, et panni ſericii centonibus, patellæ ignitæ iniectis, nec non aliam ſpeciem, ex eodem ſerico, petroleo macerato, concinnatam laudat*, potiſſimum ad cauſam, fibras flaccidas reddentem, reſpiciens, quam egregie emendare putat: ſed haud tutum ubique eſſe probat, *præprimis delicatioribus acre oleum petræ, teneræ cuticulæ vaginæ admovere, quia eam cum inſigni ardore erodit;* nouit enim *a ſimilibus morſicantibus, ad provocandos menſes adhibitis, motus convulſivos excitatos,*

vt

vt injectionibus gelatinosis, abstergentibus, temperantibusque opus fuerit.

§. XLVII.

Nec nobis arrident *cerea*, qualia BARBETTE et SCVLTETVS summis prædicant laudibus, asa *fœtida*, et *castoreo*, obducenda, intus cava et filo propendente pro lubitu extrahenda, cum minus commode, sed libere potius vaginæ parietibus inhæreant, facillime sub leviori corporis motu, vel vrinam & alvum excernendi conatu foras iterum excidant, additaque nulli plane inseruiant vsui.

§. XLVIII.

Quid de *pilis*, *pomis*, *linteis conglomeratis*, *nucibus maioribus*, aliisque *imperforatis* instrumentis sentiendum sit, quilibet facile iudicabit, cui notum, a saburra corrupta, mora valde acri reddita, in vaginæ rugis sinulisque collecta, novos gigni morbos externos massam humorum corrumpentes. Iudicat quidem ALBERTIN. BOTTONVS (rr) pilam aliquam formari debere, qua os vulvæ obduretur, ne foras iterum labatur, sed cum idem finis cum *perforatis* securius meliusque obti-

(rr) *Lib. cit. Cap. LXXIII.* Parari iubet pessarium *ex lana, posca, vel vino austero, prius imbuta, deinde expressa: in quibus si adstringentia etiam calida macerata prius fuerint, vt matricaria, mentha, nuces cupressi et similia, addendo semper odorata et aromatica.*

obtineri poſſit (§. XLV.) illud, vti et reliqua eiusdem indolis et figuræ fere, plane reiicimus.

§. XLIX.

SCHLEVOGTIVS ad modum VOELTERI *circulum parauit flexilem ex oſſe balænæ, lino et dein ſerico obvolutum, ceræ aliquoties immerſum ſedulo æquabilem redditum politumque, quo ſub ovali figura intruſus, intus ad circularem rediret,* et hoc pacto cavitatem commode expleret, vlterioremque exitum ipſi præcluderet. Quamvis vero cit. viros maiorem forſan, hac inſtrumenti ſpecie præſtitiſſe vtilitatem prioribus inventis, lubentiſſime concedamus: negandum tamen non erit, illud pondere ſuperare noſtrum ex ſubere confectum, nec circulare cavitatem adeo explere, quam illud, quod ad ellipticam accedit figuram.

§. L.

Datur adhuc diverſitas peſſariorum, ratione *materiæ,* ex qua arte confici ſolent. Dantur enim annuli ex ligno tornati aut ex ſubere ſculpti, et cera incruſtati, vel ex auro et argento confecti. E nobilioribus metallis præparatis DEVENTERIVS (ss) quidem *peſſos argenteos vel aureos præfert, cavos atque læviſſimos, ne pondere incommodent, probeque lævigatos, ne attritu lædant, doloremque inferant;* ſed cum ejusmodi metalla, ratione præparationis ingrediantur veneris particulæ, ab adhærentibus

F ipſis

(ss) lib. cit. p. 32. MAVRICEAV *lib. cit. pag. 395.*

ipsis humoribus excrementitiis mora corruptis, ærugi-nosa quasi fiunt, partes arrodere, et ad inflammationem et corruptionem disponere solent.

§. LI.

Omnibus his palmam præripiunt *pessi suburei, cera alba* incrustati, quos molles nimis esse ac facile frangi quidem putat DEVENTERIVS, sed si rite fuerint præparati (tt), vsui per duos et plures adhuc inserviunt annos, mulieresque in vagina illos gerentes nec incommodum nec pondus, qualia ab aliis ex ligno tornatis, sentiunt. Quodsi enim præter omnem spem et opinionem, ob nimiam mollitiem, ex qualicunque causa, intus frangantur, aut vel ob calorem internum et acrem saburram, tam cera dissolvatur, quam eiusmodi lignum porosum corrumpatur, examinandum prius erit vtrum ligamenta priorem rursus nacti sint elasticitatem? et an opus adhuc sit novo quodam, pro vili pretio sibi comparando pessario? id quod iudicio medici et chirurgi discretiuo examinandum relinquimus.

§. LII.

Præfert quidem hanc ob caussam *ligneos* vtpote prioribus durabiliores, sed cum quæ præstare debent, præ-

(tt) Præservandi scopo contingentem nonnunquam brevi temporis intervallo, dictorum pessorum destructionem: eos probe incerandos esse commendat, ne corruptione partes ad putredinem disponant illisque exulcerationem dolorificam inferant.

præſtent (§. LI.), ſpecifice leviores ſint ligneis, atque ita formati, vt mulier, non obſtantibus illis, a viri amplexu gravida reddi poſſit, ligneos duriores mollioribus ſubureis inferiores eſſe arbitramur.

LIII.

Habemus denique diverſæ figuræ peſſos, quales Tibi B. L. Tabula adiecta ſiſtit, et antea iam MAVRICEAV, DEVENTERIVS, Cel. HEISTERVS, MESNARD delineandos curarunt, formam ellipticam circulo propius accedentes, triangulares cuius latera circularia ſunt, orbiculares, rotundos fere quadrangulares etc. vel planos vel latos et profundos, certa quadam gaudentes digitorum latitudine magisque in obliquum vel acutum a circumferentia verſus centrum deſinentes: ſed omnes figuræ excepta elliptica Fig. I, capacitati vaginæ haud reſpondent, cum, ſi vel excedant magnitudine, difficiles applicatu ſint, et ab eiusmodi peſſi geſtatione mala producantur ſymptomata, ſin vero minores quaſi annuli, vel oui figuram referant, infirma ſunt fundamenta, cum facile e genitalibus delabantur. Non autem, vel planis orbiculatis, vel cauis, tum in nuptis, quam innuptis ad mentem DEVENTERII opus eſt peſſariis, quum ſufficiant diuerſæ tantum magnitudinis præſcripto modo conficienda et applicanda.

§. LIV.

Itaque peſſarium Fig. I. quo felici cum ſucceſſu

Excell. Dn. Præſes in curatione horum morborum ſæpius vſus eſt, præſtantia reliqua omnia ſuperat, vid. Fig. II. III. IV. V. VI. VII., Conficitur autem illud ad formam fere illius, quod Celeberr. HEISTERVS commendat, ex ſubere, cera alba ſufficienter incruſtato. Figuram habet *ellipticam*, et utraque ſuperficies convexa f. f. f. craſſitiem digiti refert, margines eiusdem perimetri in punctis a. a. a. b. b. b. et e. e. e. ſunt obtuſi, in medio d. gaudet foramine non orbiculatim perforato ſicuti in quibusdam v. g. Fig. II. III. IV. VIII., ſed ouali, quod humoribus excrementitiis intus collectis liberum conecdit effluxum, nec concubitum impedit, ſed aptas eiusmodi fœminas conceptui (uu) reddit. Sit præterea probe politum et lævigatum ſine vlla acie vel ſcabritie, ne partes internas lædere queat.

§. LV.

Gravidis iam factis, quæ eiusmodi peſſarium gerunt, vterique mole medio grauiditatis termino aucta, e loco rurſus movetur, illudque ſua ſponte excidit; interim vterus non procidit niſi, accedente partus negotio, vi motuum rurſus propellatur. Huc ſpectat obſervatio PECHLINI, quando in muliere quadam, vaſtam vaginæ vterique procidentiam ſe obſervaſſe refert, quæ nullum aliud quæſiuit remedium, quam graviditatem.

(uu) Vid. ROVSSETTVS de partu cæſareo cap. VIII.

§. LVI.

In quibus itaque *dispositio* quædam ad *prolapsum vteri* obseruatur, tempestiue consilio et auxilio succurrendum est, ne in pristinum rursus incidant malum. Auxilium vero in partu fertur renisu digitorum nisui vteri versus digitos vtriusque manus directo æquali. (xx) Hoc enim modo impeditur, quo minus vterus vel in limen pudendi vel extra pudenda deprimatur. Si vero rursus ex qualicunque causa contigerit prolapsus, cessante penitus fluxu lochiali, tentanda erit vteri repositio (§. XXXI. et LXIV.).

§. LVII.

Tandem in difficiliori et *inueterato malo*, vbi repositio impossibilis, (yy) vel ob concurrentes alias rationes minime

(xx) RVYSCHIVS *observ. anat. med. chirurg. XXV. pag. 24.* Os vteri in partu prolabens manu retinendum et denato fœtu, placentam tota manu extrahendam esse docet, ne rursus prolabatur, vterusque inuertatur eo tempore ad inuersionem pronus. conf. quoque DEVENTER. *lib. cit. cap. XXIX. pag. 133.*

(yy) RVYSCHIVS *lib. cit. pag. 12. obs. IX.* cautelam aliquam practicam notatu dignam tradit. Demonstrat enim *vterum, haud semper posse restitui, si extra partum diu e corpore prociderit, nec semper opportunum esse illud moliri, nam norunt periti, qui antequam hoc suscipiant, semper vteri prolapsi constitutionem diuersam inuestigabunt: si enim a longo tempore prolapsus tantus sit factus, vt facili negotio in pristinum locum redigi haud possit, aut patiens vterum e longo tempore extra corpus gesserit, vel vterus prolapsus induruerit, cum inæquali superficie, aut vlcere obsessus fuerit, periculum haud faciendum; reposito enim vtero pessime sese habere solent ægræ.*

minime ſuſcipienda, in ſolatium et leuamen miſerarum commendamus *ſubligaculum* SCHLEVOGTII, vel VOELTERI præcinctorium, quo vterus prolapſus tanquam in ſuſpenſorio quieſcat.

§. LVIII.

Facta vteri repoſitione ad interna et externa erit confugiendum medicamenta. Interne blande laxantia conducunt, omnia fortiora euacuantia contemnenda, (zz) aluus libera ſemper ſeruanda, ſtatus cachecticus et nimius vteri vel totius corporis mador, nec non alba purgamenta præprimis decoctis purificantibus et aliquatenus exſiccantibus ex rad. chin. lign. ſanct. ſant. rubr. ſarſaparill. ſem. fœnicul. interpoſitis reſoluentibus antimoniatis, mercurialibus et roborantibus ſuccinatis corrigenda, venæ ſectio vrgente neceſſitate repetenda aliquoties, animi affectus (a) corporisque agitationes et motus vehementes, v. g. riſus, clamores, vociferationes, ſternutationes, labores nimii groſſiores, niſus omnes, qui muſculos abdominales ad conſtrictionem excitant, diæta

(zz) Peſſimum eſt conſilium HIPPOCRATIS *lib. 2. de morb. mulier.* vbi digitis alcius in os immiſſis vomitum, cum aqua lentium, melle et aceto excitari iubet, quo ſurſum reuellatur vterus.

(a) B. HOFFMANNVS quidem *Pathol. general.* e PECHLINO *Lib. III. obſ. 24.* et ZACVTO LVSITANO *Lib II. obſ. 65.* vterum prolapſum terrore ſanatum fuiſſe refert, ſed an hic fallacia cauſæ non cauſæ lateat? illis diiudicandum relinquo, qui cognitis huius prolapſus cauſis et vera indole, aliquoties eius curam ſuſceperunt, nos interim habet diſſentientes.

ta cruda et flatulenta, et ſupra adductæ (§. XXII.) cauſæ prolapſum excitantes, euitandæ, regimen autem optimum diæteticum ſeruandum.

§. LIX.

Externa autem *medicamenta* tam partes roborandi quam tumores ſæpius ſuperuenientes inflammatorios diſcutiendi cauſa adhiberi ſolent. Priora adſtringentia extra fluxus menſtrui tempus pudoris ſinui inſerenda, conueniunt cum illis, quæ in vaginæ relaxatione (§. LXI.) commendauimus: poſteriora vero eadem ſunt, de quibus (§. XXXIV.) actum fuit. Solent quidem nonnulli ad præſcriptum SENNERTI, RIVERII, ETMVLLERI hypogaſtrio et oſſi ſacro emplaſtra quædam applicare, ſed vix virtutem præſtare videntur, cum ſæpiſſime vel pruritum vel puſtulas excitent, quare eorum in locum ſubſtituimus ſpirituoſa, v. g. ſpirit. ſerpill. abſtractit. camphorat. ſalis ammoniac. etc. vnguenta neruina et frictiones ad naturalem vsque calorem.

§. LX.

Reſtat vt paucis adhuc *curationem relaxationis vteri vaginæ* attingamus. Differt illa pro eo ac vel cum vteri prolapſu vel ſine illo contingit. In priori caſu reponatur vterus, indicata ſupra methodo, dein, vti etiam in poſteriori caſu, ſi mulier prius apte collocata fuerit (§. XXXI.) tunica relaxata propendens blande ac leniter reprimatur, quoad tota moles intra ſinum recipiatur. Hanc ad monitum HIPPOCRATES per aliquot dies

(quem-

(quemadmodum in genere in triplicis procidentiæ curatione obſeruandum eſt) in lecto quieſcere iubet; interim adhibeantur externa adſtringentia, quo extenſio internæ tunicæ breuior fiat. Inſeruiunt huic ſcopo præprimis aqua aluminis, cum vel ſine vino auſtero, ope latæ ſpongiæ vaginæ parietibus ſæpius applicanda, mediante ſubligaculo autem vaginæ procidentia præcavenda. Poteſt quoque ex radicibus biſtortæ, tormentill. fol. querc. herb. pyrol. cort. mali granati, fl. roſar. rubr. balauſtior. nuc. cupreſſ. terr. ſigillat. gall. alumin. crud. in aqua ferrariorum vel plantaginis coctis, decoctum aliquod parari, genitalibus partibus aliquoties in die applicandum, vel tantum lanæ inuolucrum vino adſtringente madidum ipſi imponi, poſtea autem aliud roborans ex herb. ſalv. lauend. thym. maior. roriſmar. baſil. bacc. et fol. laur. vino infuſis ſubſtitui. Antequam autem hoc fiat, per peculiare quoddam inſtrumentum ad figuram infundibuli, quale ROVSSETVS depingit, fere confectum, fumus, præparato prius e ſuccino, thure, maſtich. reſin. iuniper. balſ. peruv. ſicc. et pelle anguill. ſuffimigio, carbonibus ignitis iniecto, in vaginam dirigatur.

§. LXI.

Peſſariis nonnulli in hoc malo vtuntur. Vnius tantummodo vt mentio fiat, vides B. L. Fig. eius VIII. tabula adiecta inciſam. Inuentum eſt IAC. MESNARD, qui illius figuram primum *lib. ſupra cit. pag. 51. Tab. VIII.* delineandam curauit. Paratur peſſarium diuerſæ magnitudinis ex tenui et ſubtili linteo, cera quantum

ſatis,

ſatis, obducitur, poſtea læuigatur, deinde butyro recenti inunctum prius orificio vaginæ apponitur, tandem, diductis a ſe invicem pollice et indice ſiniſtræ manus labiis, et vagina in ſitum naturalem repoſita, digitus medius dextræ manus orificio g. peſſarii Fig. VIII. imponitur, et vaginæ ſolerter immittitur, ita quidem, vt orificium h. h. verſus vteri os directum e diametro reſpondeat orificio g. illudque vna cum præcedente vaginæ procidentia, in loco naturali retineat. His peractis decoctum adſtringens, ope peculiaris loc. cit. Tabul. IX. deſcripti ſiphunculi, vaginæ iniicitur, filo autem i. g. i. peſſarium non retrahitur, cum per ſuperius huius peſſarii orificium h. h. ad vaginæ parietes medicamenti virtus penetrare poſſit.

§. LXII.

Methodus operandi non eſt reiicienda; maxime in *ſtatu complicato*, quando vteri prolapſus ſimul cum vaginæ relaxatione contingit; ſed notandum, laudatum peſſarium teſte auctore, (b) ponderoſum

 nimis

(b) *Libr. cit. p. 51. On doit faire le peſſaire avec du liége le plus fin que l'on puiſſe trouver, que l'on garnit, apres lui avoir donné une figure convenable, ou avec du linge fin, ou de l' étoffe de ſoye ou avec de la cire blanche: cette derniere, garniture doit etre préferée aux deux autres: parceque quoique cet inſtrument devienne un peu plus peſant a porter, il ſe conſerve auſſi bien mieux que les autres et ne devient pas ſi-tot puant, attendu que la cire empecheque le liége, ne s' imbibe des humidites qui exudent continuellement du vagin et de l' oriſice de la matrice.*

nimis eſſe, interim corruptioni non ſtatim obnoxium, vt reliqua. Quibus igitur peſſarium noſtrum Fig. I. diſplicet, qualecunque ex inciſis ſibi eligant curationi huius morbi commodum.

§. LXIII.

Repoſita itaque et conſtricta ac corrugata tunica interna, *cauſæ omnes* ſupra adductæ (§.XXV.), quæ eiusmodi relaxationem rurſus producere valent, cane peius et angue fugiendæ ſunt, interim diſpoſitio corporis ſeroſa et cachectica internis medicamentis corrigatur (§. LIX.), nimius humoris pituitoſi ad genitalia affluxus præcaveatur, quod præmiſſis medicamentis internis purificantibus recto medicamentorum externorum adſtringentium et ſuffimigiorum balſamicorum vſu obtinetur, omnes deinde regulæ diæteticæ, ac contingente rurſus graviditate præſcriptæ cautelæ practicæ obſerventur (§. LVII.).

§. LXIV.

Equidem poſſem in diffuſum adhuc exſpatiari campum et quid ad præcavendas ejusmodi afflictiones pertinet, fuſius enarrare. Poſſem præprimis certas leges et cautelas illis præſcribere, quæ ob anguſtam pelvim vel ſitum fœtus capitis obliquum, partum difficilem et vteri prolapſum experiuntur, ſimulque errores, qui in hac parte chirurgiæ a plurimis committuntur, oſtendere. Poſſem denique, quid ratione præternaturalis ſecun-

ſecundinarum adhæſionis, inverſionem præcavendi ſcopo, faciendum? et an ad mentem RVYSCHII a ſolis naturæ viribus ſine vitæ diſcrimine excluſio placentæ naturalis expectanda ſit? vlterius explicare; ſed ne limites diſſertationis excedam, præmiſſis neceſſariis ad rem proprie ſpectantibus, filum hic abrumpo, et DEO immortali pro conceſſis hactenus, in abſolvendo ſtudiorum meorum academicorum curriculo, viribus, gratias ago devotiſſimas, ſimulque, vt auxilium in ſuſcipiendis ad eius gloriam conaminibus, inpoſterum quam clementiſſime mihi largiatur, ſummis ab ipſo contendo precibus.

TANTVM.



PRAENOBILISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Dum de quibusdam vteri et vaginæ affectibus præsenti inaugurali ſpecimine docte diſſerere anniſus es, præclare docuiſti, noxas in internis et externis corporis partibus contingentes valde inter ſe conſpirare, hinc medico cognitum eſſe debere, quomodo non internis tantum morbis, ſed et externis affectibus, tam ad vitam conſeruandam, quam ſanitatem, quantum fieri poteſt, reſtituendam, medicamentis manuque medendum ſit. Licet autem abſolute neceſſarium non ſit, vt

medicus

medicus exerceat artem chirurgicam, quæ ab antiquissimis temporibus a medicina fuit separata, præstat tamen in quauiscunque occasione, nisi auxilio, consilio tamen præesse, ne peritis imperfecta medici videatur esse medendi ratio, neque ab eius ignorantia et infelici forsan experimento damnum ægrotis in perniciem generis humani inferatur. Laudandi igitur sunt conatus Tui, Præstantissime Domine Candidate, *quod ex mixto foro materiam fructuosam vlterius euoluendam et defendendam in* Te *susceperis, præsertim, quum positis laudabiliter in hac musarum sede tyrociniis, ad impetrandos decretos* Tibi *summos in medicina honores, veluti certa maiorum præmiorum auguria, cathedram iam iam adscendis. Ostendisti hactenus industriam singularem sitimque in addiscendis scientiis necessariis, nec non insignem in moribus probitatem. Plurimum sane debes viris immortalis memoriæ* HOFFMANNO *et* SCHVLZIO *subita proh dolor! et præmatura morte nobis abreptis, ex quorum doctissimis institutionibus adhuc didicisti principia medica rationalia physico-mechanica tam theoretica quam practica. Inter alios mihi quoque innotuisti, quum ad structuram corporis*

humani Tibi *probe cognitam reddendam tam priuatis quam priuatissimis sectionibus, aliisque practicis exercitationibus diligenter interfuisti. Itaque cum hodierna luce musis nostris valedicens felicem laboribus academicis imponis finem, magnum, quem hodie viuis, diem, ex animo* Tibi *gratulor, simulque, vt supremum Numen illum, quem fata remotissimorum temporum* Tibi *decernunt, felicem faustumque esse iubeat, ex animo apprecor. Vale. Dab. Halæ d. XVIII. Iunii.* cIɔ Iɔ cc xlv.

